

propos. vox *homo* unam eandemq; rem notat. Atq; sic differt fallacia hac à fallaciâ Homonymias & Amphibolias, in quibus significatio rerum non est eadem. Sic, simili modo respondendum est ad has affanias :

2. *Homo est generis Masculini:*

*Fœmina est homo:*

E. *Fœmina est generis Masculini.*

3. *Homo est generis Masculini:*

*Fœmina non est generis Masculini:*

E. *Fœmina non est homo.*

Resp. Si quis terminus in una propos. accipitur *materialiter*, in alterâ *formaliter*, mutatur genus prædicationis, & ita N. V. C.

*Paulus est secunda Declinationis:*

*Paulus est hoc animal:*

E. *Hoc animal est secunda Declinationis.*

Resp. Sophisma hoc in Darapti 4. habet terminos. Quia *Paulus in Majore* sumitur *materialiter*: In *Minore formaliter*, seu significativè, pro ipso homine singulari, qui nominatur *Paulus*.

5. Ani-